



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De tristitia cordis. Cap. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

Eccles. 4.

tempus illud quo animus, hinc inde vagatur, perdis, cum nihil tempore pretiosius sit; unde Sapiens: *Fili conserva tempus.* Quare ne temporis admodum pretiosi detrimentum accipias, esto semper in praeclaris & pijs actionibus occupatus, & dum operibus externis intendis, mysterium aliquod sanctissimae passionis Christi, aut aliud aliquid pium menti tuae meditandum propone, si ab hac macula liberari cupis.

*Quomodo
acquiratur
puritas cor-
dis.*

Demum pro acquirenda hac cordis puritate, opus est ut eam feruentibus à Deo precibus exposcas, quandoquidem est admodum difficilis, ut sine speciali Dei munere & adiutorio conquiri nequeat. Et Christus dicat, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

*Matth. 5.**De cordis tristitia,**Macula XIII.*

CAPVT XIIIIL

*Prover. 17.**Tristitia**nocumenta.*

ANIMVS gaudens, etatem floridam facit, spiritus autem tristis exsiccat ossa. Eadem diligentia, quam in praedictis

PARS PRIMA. 107

dictis maculis eluendis adhibendam
docuimus, in macula tristitiæ &
amaritudinis perpurganda opus est:
Cuius eluendæ methodum ante-
quam tradamus, primùm vnde tri-
stitia hæc & amaritudo proficiat
tur, explanabimus.

E quinque fontibus turbulenta
hæc aqua scaturit.

Primus est, bona opera.

Secundus est, immortificatio no-
stra.

Tertius est, inuidia.

Quartus est, desiderium propriæ
complacentiæ.

Quintus est, propria malitia. Quo-
rum singulos paulo fusius prosequemur.

Primùm igitur amaritudo cordis
originem habet, ex priorum bo-
norum operũ præsumptione: Dum
nimirum illi, qui hac macula con-
taminati sunt, opera sua magnifa-
ciunt, se magna & præclara quæ-
dam præ cæteris agere sibi persua-
dent, aliorum opera præ suis con-
temnunt, nulliusque momenti esse

*Tristitia
vnde nasca-
tur.*

*Primus
fons.*

Luc. 18.

centent, sicquæ super alios arroganter extolluntur, & cum Pharifæo aiunt. *Non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Sanè veritatem loquendo, nullum hominum genus his periculosius est, qui non modò de suis operibus magnificè sentiunt & gloriantur, sed etiam aduersus alios, quos in crimen aliquod labi conspiciantur, superbia elati, facilè indignationem concipiunt: cùm, vt S. Gregorius ait: vera iustitia compassionem habeat, falsa verò indignationem, erga homines fragiles & peccatores.

S. Gregorius.

Secundus
fons.

Secundò, amaritudo ortum ducit ex propriæ naturæ immortificatione: Qua maximè subditi contra praelatos suos & superiores, qui mores illorum disciplinæ feueritate astringere, aut eos ad obedientiam aliquam licitam cogere, aut crimina illorum punire contendunt, commouentur: amaritudinemque concipiunt, & in eos venenatas linguas suas per murmuraciones, con-

uicia

uitia & detractioe, diffringunt.

Tertiò, amaritudo initium habet *Tertius*
ex inuidia, qua aduersum alios fla- *fons.*
grant, adeoq; ex bonis eorum ope-
ribus contristantur & affliguntur:
omniaque quantumuis præclara in
malam partem interpretantur.

Quartò, amaritudo hæc oritur ex *Quartus*
desiderio propriæ cõplacentiæ, dũ *fons.*
nimirum supra cæteros laudari &
honorari appetunt, atq; si alios sibi
præferri, aut amplioribus honori-
bus affici cõspiciant, perturbantur.

Quintò denique à propria peruer- *Quintus*
sitate & malitia nascitur, cum quis *fons.*
ipse facinorosus, flagitijsq; plenus
existens, alios similiter tales esse
iudicat, omnesque sui similes, aut
etiam peiores esse desiderat.

*Modus eluendi maculam tri-
stitiæ cordis.*

VT remedium huic vitio adhi-
beatur, opus est quinos illos fon-
tes, è quibus originem habet, per-
purgare: ac proinde iuxta nume-
rum fontium, è quibus hæc macula

E 7 scatu-

HO SPECVLVM ANIMAE
scaturit, totidem quoq; modos eam
mundandi statuemus.

*Operum
nostrorum
vilitas.*

PRIMVS modus est: Confide-
rare operum nostrorum exiguum
aut penè nullū valorem: & nostram
vilitatem, atque omnes nobis præ-
ferre, operaque eorum nostris me-
liora esse, iudicare.

*Mortifica-
tionis & hu-
militatis
commoda.*

SECUNDVS est: Nostri ipsorum
mortificationi studere, & su-
perioribus in omnibus nos subij-
cere, non tantū non murmurando,
sed etiam omnem illis reueren-
tiam & obedientiam deferendo, il-
losq; rogando vt nos mortificare,
castigare, ac deprimere velint, dūq;
hoc faciūt, eis gratias agere, & nos
omni confusione dignos arbitrari.

*Invidia vt
tollatur.*

TERTIVS est, his quibus inui-
demus, benefacere, Deumque pro
illis rogare, ac cauere, ne de illis
vnquā malè loquamur, nec illis qui
de illis sinistrè sentiunt & loquun-
tur aures faciles præbeamus: sed ab
aliorum calumnijs illos defendamus,
atque in omnibus eos laudabi-
les prædicemus.

QVARTVS

PARS PRIMA. III

QUARTVS est, eisdem vti remedijs quibus vanam gloriam profligandam esse docuimus: vt alios laude, nos verò omni vituperio & confusione dignissimos reputemus.

QVINTVS est: Mores corrigere, vitæ prauitati nuncium remittere, sanctarum virtutum exercitijs nos dedere, & speciatim in dilectionis exercitijs, & Dei, ac proximi amore nos exercitare: Quod fuerit remedium optimum omnes has amaritudines è corde auferendi: neque enim fieri poterit, vt hæ maculæ de corde perfectè abluantur ac deleantur, nisi prius cor suauitate ac dulcedine diuini amoris repletum fuerit. Quo facto facillimè delebuntur.

*De cogitationibus & operationibus intellectualibus,
Macula XIV.*

CAPVT XV.

DILIGES Dominum Deum tuum, & Luc. 10.
proximum tuum sicut teipsum. Hæc
fuit